

causa allegantur; probant enim humanam voluntatem sine auxiliis gratiæ nihil valere ad opera pietatis, nec posse illam inchoare, nisi gratia præcedat et incipiat; inde tamen nulla probabilitate inferri potest voluntatis libertatem obtundi, seu prædeterminari per gratiam, aut hoc esse necessarium ad opera pietatis, vel simul esse posse cum eorum libertate. Neque Augustinus vel alii Patres in illo sensu his testimoniis utuntur, sed tantum ut necessitatem gratiæ ante omne meritum persuadeant. Et specialiter verba ultima Pauli ad Hebræos indicant modum quo Deus in nobis facit quæ illi sunt placita, *aptando nos in omni bono*, per vocationem utique congruam, ut supra explicatum est.

## CAPUT XXXI.

AN SOLI DEO TRIBUANTUR IN SCRIPTURA OPERA PIETATIS PROPTER PHYSICAM PRÆDETERMINATIONEM.

1. Quintus argumentandi locus, ex locis quibus hominis salus, et omnia opera quæ ad illam conferunt, soli Deo tribuuntur. — Quintus argumentandi locus ex illis testimoniis sumitur, in quibus hominis salus, et omnia opera quæ ad illam conferunt, soli Deo tribuuntur, vel in solam ejus voluntatem revocantur. Præcipuum testimonium est illud Roman. 9: *Non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis*; et ibidem: *Cujus vult miseretur, et quem vult indurat*. Ubi totum tribuitur voluntati Dei, quod non potest alia ratione fieri, nisi quia voluntas ejus sola est quæ voluntates humanas determinat. Aliud testimonium vulgatissimum, est illud 1 ad Corinth. 4: *Quis enim te discernit? Ubi significat Paulus Deum solum esse qui justum a peccatore discernit, determinando utique illius voluntatem ad bonum; propter quod ei etiam dicitur: Quid habes quod non accepisti? Ex his enim locis sæpe probat Augustinus hanc discretionem esse ex sola misericordia, non ex hominum libertate, præsertim quæst. 2 ad Simplician., et lib. de Prædestinat. Sanctor., capit. 4 et 5. Tertium testimonium huic loco accommodatum, esse potest illud Jerem. 10: *Scio, Domine, quia non est in homine via ejus, nec viri est ut ambulet et dirigat gressus suos*. Ex quibus testimoniis ita solent argumentari propugnatores prædeterminationis physiciæ: In operibus gratiæ totum est tribuendum Deo; sed non potest tribui totum Deo, nisi ratione physiciæ prædeterminationis; ergo. Major patet ex dictis testi-*

moniis, præsertim ex illo: *Non est volentis*; ideo enim negatur homini ut totum Deo tribuatur; quia, ut dicitur 1 Corinth. 12: *Omnia operatur unus atque idem spiritus, dividens singulis prout vult*. Et idem probant multa ex superius tractatis, et ita etiam loquuntur Patres, præsertim Augustinus et Anselmus, quorum testimonia postea tractabimus. Minor autem probatur, quia, cum sit certum hominem per liberum arbitrium concurrere ad opus pietatis, nihilominus dicitur totum esse Deo tribuendum; ergo id esse non potest, nisi quia concursus voluntatis humanæ reducitur in divinam prædeterminantem illam. Item quia, licet voluntas humana proxime operetur, tamen ultima resolutio fieri debet in divinam voluntatem; vult enim homo, quia Deus vult ut velit; ergo quia prædeterminatur. Denique hoc sensu ait Paulus: *Non est volentis, neque currentis*, non quia ipse non velit, sed quia quod velit non est imputandum illi, sed gratiæ prædeterminanti. Alioqui si quod velit homo ipsi in suo genere ultimate attribuitur, sicut dicitur: *Non est volentis, sed Dei miserentis*, quia in uno genere Deus incipit, et ita dici poterit non esse Dei miserentis, sed hominis volentis, quia in alio genere liberum arbitrium est ultima ratio se determinandi. Quo argumento utitur fere Augustinus in Enchirid., cap. 32.

2. Sed hæc testimonia ad summum probant necessitatem divinæ præmotionis, et congruæ vocationis, gratuito et ex voluntaria electione et prædeterminatione collatæ. Unde in memoriam revocanda est distinctio supra data, de duplici ordine sub quo possunt hæc opera pietatis et gratiæ considerari, scilicet, sub ordine executionis et prædeterminationis. Priori modo, certum est talia opera non esse a sola gratia, nec a solo libero arbitrio, sed ab utraque, juxta illud Augustini, serm. 15 de Verb. Apost., capit. 11: *Non partim gratia, partim liberum arbitrium, sed totum singula opere individuo peragunt*. Posteriori autem modo omnia in solum Deum ejusque voluntatem reducuntur. Qua doctrina supposita, facile dicta testimonia intelliguntur, et argumento ex illis formato satisfit.

3. Hæc verba, *Non est volentis etc.*, de executione ipsa intellexisse videtur Nazianzenus. — Quod ergo attinet ad verba Pauli: *Non est volentis, etc.*, Nazianzenus, orat. 31, de executione ipsa intellexisse videtur, et ideo exposuit: *Id est, non solum volentis, nec currentis solum, sed etiam Dei miserentis*. Et subdit: *Ita quoniam velle quoque ipsum a Deo est, optimo jure*

totum Deo assignavit. Contra hanc vero expositionem objicit Augustinus in Enchirid., capit. 32, quia eadem ratione dicere possumus: *Non est Dei miserentis, sed hominis volentis* subintelligendo *solius et etiam*, quia non est solius miserentis Dei, sed etiam volentis hominis: id autem admittendum non est; aliquid enim singulare voluit Paulus misericordiæ Dei tribuere, ut ex contextu manifestum est. Addit ergo et recte Augustinus: *Restat ut propterea recte dictum intelligatur: Non volentis hominis sed miserentis est Dei, ut totum Deo detur, qui hominis voluntatem bonam et præparat adjuvandam, et adjuvat præparatam*. Eandem doctrinam habet quæst. 2 ad Simplician., et concludit: *Non igitur ideo dictum putandum est: Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, quia sine ejus adjutorio non possumus adipisci quod volumus, sed potius, quia sine ejus vocatione non volumus*. Et sic etiam dixit in lib. Proposit. epist. ad Roman., c. 61: *Quia neque velle possumus, nisi vocemur, ideo verissimum est miserentis Dei esse quod bene velimus et operemur*. Quod approbat l. 1 Retract., c. 23: *Sed parum, inquit, de ipsa vocatione disserui, quæ sit secundum propositum Dei, ac si diceret, ideo soli Dei miserenti tribui bonum velle, quia ex sola ejus misericordia vocatio congrua præcedit*. De qua intelligitur etiam ab eodem Augustino dictum l. 83 Quæstion., q. 69: *Licet quis possit sibi attribuere quod veniat, non talis tamen potest sibi tribuere quod vocatus sit*. Igitur, quia necesse est ut vocatio congrua præcedat, et hæc datur ex sola misericordia Dei, ideo soli Deo et misericordiæ ejus nostrum bonum velle attribuitur. Falsum ergo est non posse hoc soli Deo tribui, nisi quia prædeterminat hominis voluntatem, cum Augustinus doceat illi tribui, quia congruenter vocat, id est, quia excitat voluntatem hominis, sicut oportet ut illa consentiat. Et hanc expositionem declarat et confirmat optime D. Anselmus, lib. de Concord., q. 3, eujus verba infra in proprio capite latius tractabimus.

4. Adde præterea quod verba Pauli, etiam secundum ordinem executionis intellecta, non excludunt quin libertati voluntatis tribuenda sit conversio in suo genere, et ut proximæ causæ, sed docent non ita tribuendam esse voluntati, sicut gratiæ, quod neque Nazianzenus negavit, ut infra ostendam, et Anselmus his verbis declaravit: *Licet justitia servetur (vel recipiatur) per liberum arbitrium, non tamen tantum est imputandum libero arbitrio quantum gratiæ, quoniam illam liberum arbi-*

*trium, non nisi per gratiam prævenientem et subsequentem, habet et servat*. Non est ergo propter gratiam prædeterminantem, sed propter prævenientem, id est, propter vocationem, ut Augustinus dixit, et propter subsequentem principaliter cooperantem. Quamvis, loquendo secundum ordinem prædeterminationis et electionis gratiæ, multo magis tribuatur voluntatis consensus soli Deo, faciendo ultimam resolutionem in ipsum. Consentit enim voluntas cum adjutorio gratiæ, quia prius vocata est congruenter per solam gratiam; ideo autem sic vocata est, quia illam Deus elegit, vel ad salutem, vel ad fidem, aut poenitentiam; ideo vero illam elegit, quia voluit, juxta illud: *Misererebor cujus miserebor, et misericordiam præstabo cujus miserebor*. Et ita, sicut supra ostensum est, ob prædeterminationem non esse necessariam prædeterminationem, quia per vocationem congruam sufficientissime et accommodatissime impletur, ita, ut ultima resolutio in divinam voluntatem eligentem fiat, et ea ratione dicatur, non esse volentis, neque currentis, sed Dei miserentis in sua æterna dilectione, non est ergo necesse ut per physicam prædeterminationem tollatur a voluntate humana indifferentia quam habere debet, prius natura quam se determinet, sed oportet solum ut voluntas sic indifferens congruenter vocetur et excitetur, ut cum adjutorio gratiæ comitante infallibiliter se determinet.

5. Et hæc responsio applicanda est ad secundum testimonium de discretionem inter eum qui gratiæ consentit, et eum qui resistit; nam si resolutio fiat ad ordinem divinæ intentionis, sic fuit ex sola misericordia Dei, huic potius quam illi vocationem ex proposito seu congruam præparare; in usu autem et executione conjungi necessario debet libertas arbitrii; iste enim consentit, quia nunc vult pro sola sua voluntate. Et similiter inter justos iste est sanctior quam ille, quia pro sua libertate magis conatur cum adjuvante gratia, licet hic major conatus ex divina electione media congrua vocatione descendat. Et ita utrumque conjunxit Concilium Trident., sess. 6, c. 7, dicens: *Unumquemque accipere justitiam, secundum mensuram quam Spiritus Sanctus partitur singulis, prout vult, et secundum propriam cujusque dispositionem ac cooperationem*. Et sic etiam verissimum est quod Paulus in citato loco 1 Corinth. 4, intendit, neminem scilicet discerni ab alio, nisi per ea quæ accepit, quia, licet ex adductis unus non discernatur ab alio, nisi per liberam suæ indiffe-



rentis voluntatis operationem, tamen ratio diversitatis in ipso usu manat ex gratia, non media prædeterminatione, quæ indifferentiam in operando auferat, sed media vocatione congrua, quæ gratis datur, et ex divina electione omnino voluntaria manat.

6. *Notanda Damasceni doctrina.* — Circa tertium testimonium, notanda est Damasceni doctrina, lib. 2 de Fide, cap. 26, discrimen esse inter electionem et actionem liberam, quod electio semper est in nostra potestate, et ideo semper est libera; actio vero non semper est in nostra potestate, sed interdum deficit, vel ex impotentia nostra, vel ex ordine divinæ providentiæ. Et ratio esse videtur, quia electio est per se, ac proxime, ac formaliter libera, et ideo non privatur suo intrinseco et connaturali modo, quo fieri postulat; actio vero est libera per denominationem ab electionis imperio, quod est illi extrinsecum, et ideo extrinsecus etiam potest impediri. Et ideo ad conservandam libertatem necessarium est et sufficit quod in electione seu volitione usus libertatis servetur, etiamsi executio impediat, vel non sit in hominis potestate; tunc enim voluntas pro facto reputabitur, et defectus executionis homini non imputabitur. Hoc supposito, dico verba Jeremiæ intelligi posse de executione et actione, et sic in eis commendatur gratia subsequens ad nostram electionem, seu propositum. Quamvis enim homo, cum priori gratia, optima eligat et proponat, indiget divina gubernatione et directione, ut illa exequatur, vel quia longe major in executione invenitur difficultas, vel quia non est in potestate hominis omnia impedimenta præcavere, etc.

7. Hac ergo ratione merito dicitur: *Non est in homine via ejus, qui licet illam ingredi et ambulare proponat, oportet ut Deus det vires ad ambulandum, et dirigat gressus ejus.* Cui consonat illud Proverb. 2: *A Domino diriguntur gressus viri, quis autem hominum potest intelligere viam suam?* Et ideo dixit Paulus Deum non solum dare velle, sed etiam perficere, pro voluntate, vel hominis proponentis cum gratia, vel Dei ad utrumque gratiam conferentis. Unde etiam dixit Hieronymus, dial. 3 contra Pelagian. : *In Domini potestate est, ut id quod capimus, quodque laborare admittimus, illius ope et auxilio adimplere valeamus.* Et sic etiam multi exponunt illud Proverb. 16: *Homini est præparare animam, et Domini gubernare linguam;* nam licet se præparet et proponat homo loqui, si in ipso usu Deus non dirigat

mentem et gubernet linguam, facile labitur. Simili modo in eodem Proverb. dicitur: *Cor hominis disponit viam suam, sed a Domino gressus ejus diriguntur;* sicut strenuus dux optime disponit exercitum, et nihilominus successus victoriæ ex divina providentia et adjutorio maxime pendet, quia non potest industria humana omnia providere quæ possunt victoriam juvare vel impedire; juxta hunc ergo sensum, nihil hæc testimonia pertinent ad præparationem voluntatis in actione, vel in volitione libera, quia respectu talis gratiæ jam hæc electio vel præparatio supponitur facta per aliam gratiam prævenientem et adjuvantem, et hæc ulterior gratia subsequens, quatenus ad novum actum seu voluntatis usum et executionem datur, etiam confertur per gratias excitantes, aut internas, dirigendo mentem et confortando voluntatem, influendo illi suavitatem, vel quid simile; quatenus vero ad actiones et facultates executivas exteriores spectat, datur aufereudo impedimenta, vel adjutoria etiam corporalia executioni accommodata tribuendo.

8. Aliter vero possunt verba Jeremiæ intelligi de via hominis, etiam quoad ipsam electionem liberam, seu quoad interiorum consensum, seu propositum nostræ voluntatis. Et sic dicitur non esse in hominis potestate via ejus, quia non est in illius potestate habere vocationem et excitationem, sed divini hoc est muneris, quem sensum ibi Hieronymus amplexus est. Sunt tamen duo notanda. Unum est, quod, licet prima excitatio non sit in hominis potestate, tamen habere secundam et tertiam, et omnes alias necessarias ut ambulet et dirigantur gressus ejus, est aliquo modo in ejus potestate, quia si bene utatur prioribus, posteriores accipiet. Aliud est, quod, licet præparatio cogitationis vel congruæ vocationis ex sola Dei misericordia sit, nihilominus ex culpa hominis est quod vocatio illius congrua non sit. Et utrumque significat Augustinus, lib. 2 de Peccator. merit., cap. 17, cum dixit: *Gratia Dei est quæ adjuvat hominum voluntates, quæ ut non juventur, in ipsis illidem causa est, non in Deo.* Quod ex ipso loco Jeremiæ colligitur, quia in eo statim subjicit: *Veruntamen corripe me in judicio, etc.* Igitur, juxta Augustinum, licet non sit in homine via ejus quantum ad excitationem, est quantum ad determinationem et cooperationem, et ita quando Deus actu non juvat et dirigit viam ejus, ab hominis libertate et culpa provenit, et ideo necesse est ut oret: *Corripe me, Domine in judicio, etc.*

## CAPUT XXXII.

AN DEUS FACIAT UT VELIMUS ET FACIAMUS, PER PHYSICAM PRÆDETERMINATIONEM, AUT EFFICIENTIAM.

1. *Respondetur ad loca in quibus dicitur Deus facere ut velimus et faciamus.* — Sextus arguendi locus maxime sumi solet ex illis testimoniis, in quibus dicitur Deus facere ut velimus et faciamus; et ad eadem reducuntur illa, in quibus dicitur Deus trahere homines, neque aliter posse ad eum venire. Sic inducuntur verba Ezechiel. 11 et 36: *Dabo vobis cor novum, et spiritum novum ponam in medio vestri, et faciam ut in præceptis meis ambuletis;* quibus consonant illa verba Rom. 8: *Qui spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei.* Item adducuntur verba Isai. 50: *Dominus meus aperuit mihi aurem, non contradico, quasi aperire aurem sit cor ad consentiendum determinare.* Item illa Joann. 6: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum;* quibus consonat illud Canticor. 4: *Trahere me post te.* Ex quibus sic argumentatur: Si Deus expectat determinationem nostram ut nobiscum operetur, nos potius illum trahimus ut nostram conversionem operetur, quam ipse nos trahat ut illum sequamur. Et similiter potius nos facimus ut ipse faciat, quam e converso. Alii sic urgent, quia verba Scripturæ sunt in omni proprietate intelligenda; sed verbum *facere* significat physicam efficientiam, nam moralis metaphorica est; ergo cum Deus dicitur facere ut faciamus, vel ut velimus, intelligendum est physice id facere; ergo facit prædeterminando voluntatem, nam sola prædeterminatio physica facit per propriam efficientiam ut voluntas faciat.

2. Respondetur, ex dictis testimoniis et similibus, solum probari necessitatem divinæ gratiæ et efficaciam ejus, modum autem efficiendi per physicam prædeterminationem nullo modo posse ex illis locis colligi, quod breviter ostendo. Primo enim non est necesse ut promissio illa per Ezechiel. : *Dabo vobis cor novum et spiritum novum,* intelligatur stricte de sola gratia efficaci, nedum de sola prædeterminante, sed in universum de abundantia gratiæ, quæ in lege nova danda erat, quæ includit non solum auxilia efficacia, sed etiam sufficientia et copiosa, quæ abundantius hoc tempore omnibus offeruntur, vel per internas inspirationes, ut indicant illa verba: *Ponam spiritum meum in medio vestri;* vel per sacra-

menta, ut indicant illa verba: *Effundam super vos aquam mundam,* ut egregie expendit et interpretatur Augustinus, lib. 3 de Doctrin. Christian., cap. 34, et lib. 18 contra Faustum, cap. 4. Quia vero in illis verbis non solum promittitur spiritus, seu virtus gratiæ, sed etiam effectus et fructus ejus, qui in observatione mandatorum Dei consistit, ideo verum etiam est ibi maxime promitti gratiam efficacem, quæ homines ad Deum cum effectu convertat, et ita corda eorum renovet.

3. Duplex autem distingui potest cordis renovatio, habitualis scilicet et actualis. Prior fit per infusionem habituum gratiæ, quam solus Deus facit in nobis sine nobis proxime concurrentibus, quia illa infusio in se ac formaliter non est nobis libera. Quia vero illa renovatio non fit in homine adulto, nisi prævia dispositione ejus libera, ideo aliter intelligitur Deus dare cor novum, per actus fidei et dilectionis cor hominis ad se convertendo. Hæc autem facit ita illius mentem congrue vocando et excitando, ut infallibiliter illius consensum inducat. Et eodem modo aufert cor lapideum, ita movendo ejus voluntatem per piæ affectiones, ut propter durtiæ non resistat. Quia vero hæc novitas non fit in homine sine illius libera determinatione, ideo, non obstante dicta promissione ex parte Dei, et ab ipsis hominibus per eundem Prophetam postulat: *Projicite a vobis prævaricationes vestras, et facite vobis cor novum et spiritum novum.* Ergo ex priori promissione non colligitur prædeterminatio, quam solus Deus in voluntate hominis faciat, sed ad summum congrua excitatio et vocatio, quæ omnino liberam relinquit hominis determinationem, ratione cujus ab ipso postuletur *ut faciat sibi cor novum, et ut avertat se ab injustitia sua,* ut ibidem dicitur. Nam quia hoc non fit prædeterminatione, sed morali inductione, ibidem additur: *Cum averterit se impius ab impietate sua, quam operatus est, et fecerit judicium et justitiam, ipse animam suam vivificabit.* Et ad hunc fere modum expendit hæc loca D. Augustinus, libr. de Grat. et liber. arbitr., cap. 14 et 15, et in aliis sæpe dicit Deum facere ut velimus, per vocationem, quam propterea *effectricem bonæ voluntatis* appellat, ut videre licet in quæstione secunda ad Simplician., et in aliis locis statim citandis.

4. *Erigere, seu aperire aurem Christi, fuit ostendere voluntatem Patris.* — Ad verba Isaïæ, dicimus vel nihil probare, vel contrarium suadere. Nam illa verba ad litteram intelliguntur